

Tomus XIII
Miscellanea Philology.

[Faint handwritten scribble]

The
Di
G
I
M
P
E
A
C
E
T
G
T
P
G
G



100.

102

L. D. B. V.

DISSERTATIO CHRONOLOGICA

De

ANNO NATIVITATIS ABRA-
HAMI, VOCATIONIS EJUSDEM

ET IVC. XXX ANNIS MANSIONIS
ISRAELITARUM IN ÆGYPTO

ex Ex. XII, 40.

Quam

Consensu SUPERIORUM

in

Celeberrima LEUCOREA

Sub PRÆSIDIO

M. ÆGIDII Strauchs /

ad placidam Συμφιλολογίαν proponit

GOTTFRIDUS KIRSTENIUS

Bernstadiensis Silesius.

In Auditorio Minori

ad D. III. Septembr.

Annò


P. Jul. VIM. CCC. LXVI.

A nato Abrahamo IIM. DC. LIV.

A vocatione Ejusdem &

initio 430 annorum IIM. D. LXXIX.

Christi vulg. M. DC. LIII.



Apud JOBUM WILHELMUM FINCELIUM



ALPHABETICUM

ALPHABETICUM

Faint, illegible text in a historical script, possibly Latin or German, arranged in several columns. The text is mirrored from the reverse side of the page.

FINIS





בגור:

Præloquium.



Eficere mirum in modum historiam profanam, quod antiquiora concernit secula, fateri olim necesse habuit *Varro*, quod de eodem testatur *Censorinus* de D. N. cap. XXI. Is enim cum animadverteret defectum hunc, tria discrimina temporum esse tradidit: Primum supputavit ab hominum initio & ortu usque ad universalem eorum deletionem, quod propter ignorantiam vocavit ἀδηλον. Secundum à cataclysmo universali est orsus & continuavit usque ad Olympiadem primam, quod quia in eo maximè fabularum autores floruerunt, *Onomacritò*, *Eumelò*, *Arctinò* aliisque; Ἰπικὸν κύκλον componentibus (quod eruditè ostendit *Isaacus Casaubonus* in *Animadvers: in Athenæum* L. VI. C. III.) nominavit μυθικόν. Tertium denique à prima Olymptiade est auspiciatus & quæ deinceps, tempora inclusit; atque idem *Historicum* dixit, cum res in eo gestæ veris historiis contineantur. Etsi vero communia hæc Gentilium fuerint placita, arbitrantium, nil certi ante Olympiadum initiū haberi, quod res gestas attinet, aliud tamen Christianis Chronologis est compertum, siquidem deficiente profanorum Scriptorum curâ, sacri vices abundè suppleant. Cujus rei documenta præstare placet in præsentī. Tu Pater temporum annue clementer!

THESIS



THESIS I.

*A Diluvio cæpto usq; ad Abrahami
nativitatem elapsi sunt anni 292.*

§. 1. Primum hoc intervallum minus est, de quo nos certos esse oportet, nisi de certitudine intervalli majoris desperare malimus. At salva res est. Scripturam hęc locõ præviam habemus, quæ annum nativitatis Abrahæ luculentissimâ asseritione suâ exprimit: hunc enim colligimus ex eadem hoc modo:

Elapsi sunt anni

A Diluvio ad Arphachsad	2.	Genes: XI. II
Ab Arphachsad ad Salah	35.	12.
A Salah ad Eber	30.	14.
Ab Eber ad Peleg	34.	16.
A Peleg ad Regu	30.	18.
A Regu ad Serug	32.	20.
A Serug ad Nahor	30.	22.
A Nahor ad Tharah	29.	24.
A Tharah ad Abrahamum	70.	26.

Sūma Annorū à Diluvio ad Abraham. 292.

§ 2. Etsi verò satis evidenter & κατὰ τὸ ῥητὸν seu totidem verbis Scriptura Sacra natalem Patriarchæ exprimit, non desunt tamen secus sentientibus dubitandi rationes, quibus certitudo hæc infallibiles infringi posse videtur. Si quidem LXX non tantum hujus loci versio, sed insuper αὐτοπι-
στον S. Evangelistæ Lucæ testimonium facile quemvis dubium hoc loco reddere potest, cui Circumstantiæ perspectæ adeo non sunt. Utrobique enim inter Arphachsad & Sala inferitur Caïnan, cui prætereà à LXX 130 ætatis anni tribuuntur, usque dum Sala genuerit. Si itaq; obtineret hæc sententia, 130 annorum prochronismus in thesi commissus esset, à quâ sententiâ alieni haud sunt ex Pontificiis nonnulli, Aloysius scilicet, Veronensis Episcopus, & Torriellus, ut passim hoc nomine ab autoribus citantur.

§. 3. Re-

§ 3. Respondemus verò ad ἔγκλημα hoc (1) in casu ejusmodi dubio sententiam eam amplectendam procul dubio esse, quam Autor proponit, cujus institutum erat & scopus, decisionem quæstionis dubiæ adornare. Atqui ex professo de Patriarchis sanctissimis, eorundemq; vitæ annis, agere præsumerat Moses in Gen. cap. XI. Sancto verò Luca suffecisse videtur, demonstrasse Christum verum hominem esse, ex Davide & Abrahamo oriundum. Quamobrem dubium non est, verba Mosaica hîc pro normâ agnoscenda, quæ & 1. Paral. I. 18. ulterius approbantur, (ad quæ verba notanda omninò Masoretharum nota: **ב' פסו' ראית בכר' שין** hoc est: *duo versus in quorum dictionibus omnibus schin, sc. reperitur.* Quod utiq; falsum foret, siquidem Cainan insertus quandoq; fuisset.) Tandem ne & hoc omitam, *Josephus* apertè dicit Sala fuisse filium Arphachsad. L. I. c. 14. Cæterum ad LXX non tantum, qui alioquin sæpius humani quid passi sunt, sed & Luca testimonium, quod scopum hunc principalem *χρηνοτάξιον* non attingit, quæ applicari commodè possit, responsio scrutanda, vel si eadem apodictica & quæ scrupulum tollere omninò possit, haud queat inveniri (quam impotentiam de se confitetur Rev: adm. Dn. D. *Waltherus* Cent. Miscell. p. 298.) retinenda nihilominus verior sententia, usq; dum in vitâ æternâ plenius ea omnia docebimur. Placet interim aliquot clarissimorum Virorum placita referre.

§ 4. (2) Sunt itaq; qui & LXX versionis fidem minimè sollicitandam esse, & Mosin interim rectissimè & accuratissimè annotasse *παιδοποιίας* Patriarcharum annos autumant. Quam sententiam suam facit *Samuel Petitus* variar. Lect. L. IV. c. VI. p. 168. Scilicet annotat ibidem Cainan habendum esse pro Sala, cum tot annos vixerit, quot Sala, & Salæ cognomentum Cainan fuisse. LXX verò ἐκ τῆς πατρο-*παραδόσεως* habuisse istud cognomen, hinc ita primum vertisse: Et Arphachsad ἐγεννησε τὸν Καϊναν τῆς Σαλαῖ, hinc nescios cognomenti Librarios distinctos Patriarchas recensuisse: Nec alius, pergit, est Καϊνῶν apud Lucam ἀ τῆς Σαλαῖ.

Qvare

Quare tollenda apud B. Lucam interpunctio, quæ distinguere & alium facere videtur, rescribendumq; est: τ̄ς Εβ̄ραϊ, Ἰ̄ς Σαλᾱ Ἰ̄ς Καῑναν. Quam suam sententiam ulterius probat ex Ebraico Samaritanorum codice, cujus fragmenta in græcis Eusebianis Scaligeri extant, sine mentione Kainan. Eundem quoq; ex albo suo erasisse Eusebium ait, eoq; priorem, à quo sua accepit, Africanum, neq; numerare eum Epiphanium Hæresi Melchisedecitarum, nec Græcorum plerosq; &c. Confer. *Dnum D. Waltherum*, Harm. Bibl. ad Genes. c. XI. *Gomarum* de Geneal. Christi & Epicrisin *Spanhemii* Dub. Evang. Part. I. p. m. 158. *Dn. Micralii* Synt. Histor. Eccles. sect. I. qv. 14. p. m. 24. *Gerardum Johannem Vossium* Dissert. de Genealogia Christi p. 23. *Danielem Angelocratorem* Chronol. Autoptica.

§ 5. Etsi verò quousq; fieri potest, Græcam versionem libenter excusatam velimus, impræsentiarum tamen vix eadem fidem meretur, cum non tantum Gen: XI. pleonasticè & contra fidem Historiæ Kainan infarciat, sed & I. Par. I. 18. eundem errorem repetat. Præterea non tantum circa Kainæ notationem à veritate Ebraica recedit, sed ne unicum quidem numerum ferè in Genes. cap. V. & XI. incorruptum transtulit, quod ἀὐλοφθαλμικῶς inspectio & collatio utriusq; codicis probat. Tandem antiquissimi codices & Syriaca quoq; versio, in quibus non minus, ac in modernis, Cainan illius supposititii fit mentio, sententiam hanc dubiam reddunt satis.

§ 6. Optima itaq; sententia *Dni. D. Glasii* Phil. I. I. Tractat. 2. p. m. 251. *Dn. D. Althoferi* Harm. Evang. emedull. p. 135. *Francisci Junii* Comment. in Gen. c. XI. *Gisberti Voëtii* Select. Disp. Theol. part. 1. de Insolubilibus Scripturæ p. 60. & aliorum videtur esse, qui asserunt LXX dedisse operam (verba sunt *Franc. Junii l. cit.*) ut certis Scripturæ locis infarcirent nomina personarum, & rationem temporum adaugerent, non eò consiliò, ut de veritate derogarent, sed eò potius, ut de exterarum gentium gloriatione (quam adhibebant illæ antiquitatis specie) detraherent: maxime cum putarent in rebus

rebus ejusmodi non laborare aut infirmari fidem, quæ in dogmatis pietatis fundata est, non autem narrationibus historicis. Hanc cogitationem quidem probare non possumus; quia sine hac arte defendi veritas & antiquitas sacrae historiae potuerit. Sed longè aliter Lucae Evangelistæ accidit, qui in sua recensione Kenanis meminît, secutus illam LXX fidem, sed consiliò diversissimò. Cum enim videret non esse positam in hac repiorum salutem, sed errorem jam olim temerè à majoribus inductum, & apud omnes gentes ætate illà receptum, non posse sine gravi offensione tam repente convelli ex mentibus & libris hominum, dedit Lucas Charitati & pietati in Ecclesiam Dei, quod temeritas ante invexerat, ac proinde Kenanis appellationem eòdem ordine in narratione inseripassus est, ne, dum historiae veritas ageretur, (in quâ parum positum videbat esse) labefactaretur pietas infirmiorum, & disfuereetur charitas, quæ primis illis temporibus nascentis Ecclesiae omnibus modis fuit fulcienda. Hactenus Junius. Nostrum non est in veritatem sententiarum Còmentatorum Biblicorum inquirere ulterius, sufficit, quantum ad stabiliendam Thesin nostram Chronologicam facit, decerpisse. Si cui interea volupe, in causas, ob quas Spiritus Sanctus suos Amanuenses ad LXX versionem, ut ut in plurimis locis à vero aberrarit, & non ad ipsum fontem citandum invitaverit & ablegaverit, ulterius inquirere, consulere potest responsum *Dn. D. Waltheri*, quod *Centur. Miscell. p. 297.* ad quæstionem per Epistolam reddit.

§ 7. Cæterùm vindicatâ thesi nostrâ ejusdemq; stabilitâ veritate, ac contra dubitandi rationē priorem asfertâ, de alio dubio, quod hîc moveri solet, agendum quoq; breviter est. Scilicet dicitur Genes. c. XI. v. 26. Tharam 70 annorum natum genuisse Abrahamum, Nahor & Haran. Omnes tres cum unò annò genitos esse, probabile haud sit, quæstio orta inter Chronologos, & qui iisdem argumenta suppeditant, quemnam primò & septuagesimò ætatis annò præcisè genuerit? Potissimorum autorum constans sententia est, Abrahamum primogenitum fuisse, atq; adeo *Biblicam Historiam*
in

in natali Abrahami exprimendo hoc loco minimè deficere.
 Rationes, quæ allegari possunt, sunt: (1.) *Optimi Historici,*
Mosis in recensendis annis vitæ Abrahami, summa ἀνεπίβεια.
 Siquidem scrupulosissimè annos ætatis Abrahæ vir DEI nu-
 merat & nominat, dum septuagesimi quinti, Genes. XII. 4.
 octuagesimi sexti c. XVI. 16. nonagesimi noni c. XVII. 24. &c.
 mentionem facit, neque hoc tantum, sed & reliquorum Pa-
 triarcharum supra diluvianorum annos ἀνεπίβως annotat.
 quidni ergo parili fidelitate natalem Patriarchæ, patris fide-
 lium, quam fieri potuit, accuratissimè & evidentissime simul
 computaverit? (2) *Abrahami ἀπιστία.* Exemplum sine exem-
 plo esse imaginabatur sibi, centum annos natum primoge-
 nitum parentem facere quæquam Genes. XVII. 17. At si 130
 annos natum, Tharam prole beatum fecisse matrem ejus,
 nosset, [quæ secus sentientium hypothesis est] ecquid
 causæ fuisset ridere rem minimè novam? Neque
 enim, quæ *Parai & Merceri* est instantia, ad Saræ sterili-
 tatem nonagenariam tantum, quin potius ad Abrahami
 quoque confessam impotentiam referenda admiratio hæc,
 dubitationis nota certissima. (3.) *Abrahami προουλησία.*
 Enimverò minus probabile videtur, primùm nominari ul-
 timò genitum ex legitimo Matrimonio. Consuetudinem
 Scripturæ spectandam esse in dubio ejusmodi casu genera-
 lis lex Exegeticorum est. At consuetudo Scripturæ sententiæ
 nostræ patrocinator evidentissimè. Et quibus primò animum
 paternum desponderat Jacob, יצחק filii, nihilominus ultimò
 recensentur. Et qui indignissimâ venditione primogenitu-
 ræ se indignum reddiderat, omninò primùm in scripturâ no-
 minatur. Ut taceam, Natalem Abrahami immotum fun-
 damentum χρονολογία sacra esse. Hunc si neglexit Moses,
 actum de Sacra Chronologiâ est, & in casum exactissimus
 laborasset Historicus, si nobis verissimum Abrahami nata-
 lem haud revelasset.

§. 8. Ne tamen dubium ullum sit, & falsissimam sen-
 tentiâ Patronos nancisci persæpè, suò exemplò id probant cæ-
 teroquin eruditissimi autores. Iisdem enim cum ad palatum
 haud

haud sit cum vulgo sapere, secum invicem desipere malunt. Evidentior ut res fiat, allegare paucissimos placet. Scilicet *Theodoretus*, *Lyrus*, *Cajetanus*, *Johannes Mercerus* in *Genes. Torniellus*, *Franciscus Junius* in *C. XI. Genes.* *Wilhelmus Langius* de *A. C.* p. 257. *Chronologus mysticus*, *Johannes Temporarius* *Chronol. Demonstrat.* L.I. p. 42. aliiq; non pauci negant septuagesimo Tharæ anno natum esse Abrahamum, quin potius anno demum ætatis 130 Tharam Abrahamum, genuisse. Neque Scripturæ testimonium contrarium asserere, cum *Genes. c. XI. 26.* loquatur Moses non de iis Tharæ annis, quos tunc natus erat, cum Abrahamum generaret, sed cum primum inciperet generare. Quem verò primum generaverit, id ex Scripturæ verbis non colligi putant, cum non is statim primus sit, qui primò locò in Scripturà nominatur. Quin potius prius fieri mentionem Abrahami, non ratione generationis & ætatis, sed dignitatis, propter Benedictionem & electionem DEI, quemadmodum *1. Par. 4.* inter Filios Abrahæ prior numeratur Isaac, quam Ismael, & inter Filios Isaac prior Jacob, quam Esau.

§ 9. Causæ verò, ob quas recedendum hinc à literâ tradunt autores, solent allegari sequentes: (1.) quia contrariari videtur opinioni vulgatæ testimonium *Stephani Actor. VII. 4.* collatum cum *Genes. XII. 4.* Ex his enim duobus locis sequens necitur nodus: Tharæ est annorum 70 cum gignit Abraham, Abram autem ex Haran egreditur anno ætatis 75 post Tharæ. Hos annos si conjungas, habebis saltem 145. Sed cum *Historia* annos Tharæ numerat, disertè dicit, eum mortuum cum vixisset annos 205 quibus si 145 annos subtraxeris, remanent 60. Cum itaque nullam aliam solutionem textus admittere videatur, præterquam hanc, quæ 60 anni Tharæ præter 70 tribuuntur, usque dum Abrahamum genuerit, asserendum omninò erit, 130 Tharæ anno natum Abrahamum esse, non 70. Quæ ratione omnem propositæ quæstionis difficultatem exhauriri, nullamq; ne in speciem quidem in Sacris literis dissonantiam atq; discrepantiam relinqui putant. (2.) quia & *Gen. XI. 32.* Tharæ mors Abrahæ

B

pro-



profectioni ex Haran praepositur, quamobrem Abrahamus vel annò septuagesimò quintò non exiit ex Haran, vel septuagesimo ætatis Tharæ anno non est natus.

§ 10. Etsi verò intricatissima quæstio sit, quâ ratione Moses cum Stephano vel se ipso conciliari commodè queat, quam & Hieronymus, teste Dn. D. *Walthero* in Harm. h. l. suo tempore pro indissolubili venditavit, & *B. Lutherus* in Comment. super h. l. non habuerit, quid ad hanc quæstionem rectè responderet, ut ipse de se loquitur, tantum tamen abest, ut incertitudo quædam circa fundamentum hoc Chronologicum oboriri exinde queat, ut geminò potius responsò singula tela declinari comodè possint. Vel enim cum *Augustino* L. 16. de C. D. c. 15. B. *Brentio*, B. *Gesnero*, *Pererio*, *Cornelio à Lapide* aliisq; dici potest, Abrahamū ad minimum bis exiisse de Haran. Semel, si hæc sententiâ obtineat, ætatis Thare anno 145; vivente adhuc patre, post què exitū per 60 annos peregrinatus est in terrâ Chanaan, quibus dein exactis moritur ejus pater Thare in Haran, redit ergo Abram in Haran ut patrem sepeliat, & hæreditatem cernat, quò factò rursus revertitur in Chanaan. Hic iterato Abrahamum vocat Deus, promittitq; ejus semini terram Chanaan. C. XV. 15. quâ de causâ Abram constituit in Chanaan sedem figere. De secundâ itaq; Abrami in terram Chanaan profectione verba Stephani intelligenda erunt, quamobrem eadem *Cornelius* ita παρρησιασθε: Et inde [ex Haran] postquam mortuus est pater ejus [Thare] transfudit illum [Abrahamum] in terram istam [Chanaan] Et pro hæc sententiâ facere videtur Græcum μετέωκησεν, quod significat firmiter collocavit, sedem fixit, ut sensus sit; Antea quidem Abramus quoque Chanaan intravit, at non μετέωκησε jugiter mansit, habitavit propriè, quin potius peregrinatus est. Vel 2. cum aliis dici potest, Stephanum hæc ex sententiâ suorum Adversariorum locutum, qui ejus fuerunt opinionis, Abrahamum post mortem demum parentis Harane egressum. Non n. error ille aliquod Religionis caput, sed temporis tantum circumstantiam spectabat. Et manifestum hujus rei simileq; exemplum in eadem Stephani

phani ad Judæos oratione habemus, ubi ait LXXV animas cū Jacobo in Ægyptum descendisse Actor. VII. 14. quam summā ex LXX procul dubio citavit, cum Moses in fontibus aliquot in locis LXX tantum animarum mentionem faciat. Genes: XLVI. 27. Exodi II. 5. Deut: X. 22. Confer Dn. D. *Behm.* Man: L. I. Tit. I. C. VI. p. 14. seq. quo & in loco responsum extat ad ea, quæ pro enervando argumento à *πρωτοκλησία* Abrahami petito adduci solent. Nolumus enim quæ ibidem extant, describere,

Ne si forte suas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat Cornicula risum.

THESIS II.

A Nativitate Abrahami usq; ad vocationem ejusdem elapsi sunt anni 75.

§ II. Fundamentum hujus thesios sunt clarissima Mo-
sis verba, quæ Genes: XII. 4. habentur. Ita enim ibidem le-
gitur: Deinde profectus est Abram Charane, sicut edixerat
ei Jehova, & Loth cum eo profectus est. Erat autem Abra-
ham natus 75 annos, quum proficisceretur Cherane. Huic
vero Abrahami profectioi immediatè, nullāq; aliā interce-
ptā historiā, subjungitur vocatio Abrahami divinitus facta,
it: exstructio altaris &c. tandem iter Abrahami in Ægyptum,
urgente fame, susceptum. Incidit verò hæc Abrahami vo-
catio in annum P. Jul. 2791. Mundi 2023. vel 2024. in quē an-
num eandem quoq; refert *Johannes Cluverus* Epit. Historiar.
L. III. p. 8. Atq; hic annus erat simul 145 ætatis Tharæ an-
nus. Siq; videm natus est Abrahamus annò Thare 70. Egres-
sus verò est idem sanctissimus Patriarcha de Haran annos na-
tus 75. Collectis in unam summam numeris hisce provenit
summa annorum Thare, quam indigitavimus. Quamobrem
vixit post hunc Abrahami egressum Thara insuper 60 an-
nis, mortuus enim est annum agens 205.

B 2

THE-



THESIS III.

Anni quadringenti & triginta mansionis Israelitarum in Aegypto incipiunt cum Septuagesimo quinto aetatis Abrahae anno completo, seu P. Jul. anno 2786. & finiuntur cum anno Exodi Israelitarum seu Periodi Jul. 3217.

§ 12. Non abs re est, quod B. Dn. D. Behm Manud. Chronol. T.IV. c.II. p.53. monet, tres magnos numeros in lectione Vet. Testamenti reperiri magnâ Dei gratiâ à sanctis Dei viris cõsignatos, quorum beneficiõ ex Chronologicarum dubitationum labyrinthis nos extricare possimus. Horum numerorum primus est, qui extat Exodi XII. 40. quo in loco hæc habentur verba: *Incolatus autem Israëlitarum, quò commorati sunt in Aegypto, fuit quadringentorum triginta annorum.* Secundus magnus numerus est 480 annorum, quò interval- lum temporis inter Exodum Israelitarum & initium stru- cturæ prioris templi monstratur. Tertius deniq; magnus numerus est intervallum 390 annorum, mediante quò spa- tium temporis, quod inter ædificationem & destructionem templi prioris intercescit, circumscribitur & accuratissimè definitur. Impresentiarem de primo magno numero solli- citi sumus.

§ 13. Utut enim res satis videatur clara, nihilominus ta- men cum se invicem Chronologi & commentatores in hoc testimonium scripturæ Chronologicum, haud conveniunt. Nobiscum quidem faciunt, quem modò citavi, *Eusebius, & Dn. D. Behm, Dn. D. Waltherus* in Harm. hujus loci, *Josephus Scaliger, Calvisius, Dn. Franckenbergerus, Joh. Cluverus* Epit. Hi- stor. L.III. *Nicolaus Gallasius, Andreas Hyperius* in Gal. c.III. *Franc. Junius* in Exodi locum præsentem, *Cornelius à Lapide, Petavius, Daniel Angelocrator* Chron. Autopt. *Beroaldus* aliiq; Horum omnium una hæc est sententia, appellationem Filio- rum

rum

rum Israel sumendam esse *συνεχδοχικῶς*, nempe pro totâ illâ gente, quæ gens Israelitarum dicitur, etiam Abrahamo comprehensò, ex quo promissione & mandato divino instructus est, ut exiret è natali solo. Atq; adeò in initium horum annorum incidere ajunt vocationem Abrahami, annò septuagesimò quintò ætatis suæ, à Deo divinitus factam, interim fieri tantùm mentionem servitutis Ægyptiacæ, quia potiozem partem Israelitæ in Ægypto fixè habitantes transegerunt, ubi & dirissima sunt passi. Deinde quia prima peregrinatio Abrahamæ fuit in Ægyptum Genes. XII. 10. & ultima pariter Ebraeorum in Ægyptum fuit Genes. XLVI. A principio autem & fine sumitur denominatio &c.

§ 14. Ne verò absq; ratione Autorum placita proponere nudè & pro veris habere nos videamur, juvat rationes adducere, quibus evincere conabimur necessariò à vocatione Abrahami magnum hunc Scripturæ numerum computandum esse. Urgemus (1.) *Majorum Mosis ætatem*. Hæc enim non permittit annos hos 430 à descensu Jacobi in Ægyptum inchoare. Quod ad oculum, nisi fallor, demonstrabimus: Descendit Jacob in Ægyptum anno ætatis 130 Genes. XLVII. 9. secum ducens Cahathum Genes. XLVI. 11. ponamus jam Cahathum unum annum tantùm fuisse tunc temporis natum, ut adeò numerum mansionis contra maximè verisimiles conjecturas augeamus, ne quicquam desiderari possit, [certum enim est Levi post Cahath jam & Merari generasse, cum is posteriori locò nominetur ibid.] erit primus annus Cahath annus peregrinationis in Ægyptum. Atq; Kahath in universum annos 133 vixit & generavit Amram, quò equidem ætatis annò, non exprimitur, utiq; non ultimò, cum post primogenitum hunc tres insuper filios genuerit Exodi VI. 19. Ne tamen deficiat certitudo fingamus, in secus sentientium gratiam, ultimò ætatis Kahath annò demum natū esse Amram. Tandem Amram in universum 137 vixit annos, ut habetur Exod. VI. 20. ponamus & hunc ultimò ætatis annò generasse. Elapsi erunt juxta hunc computum ab anno ingressus Abrahami in Ægyptum ad natum Mosen usq; non nisi 270 anni, etsi ex merà

liberalitate egregia annorum summa præter veritatem sit cō-
 cessa. Adde octuaginta ætatis Mosis annos, tot enim eundem
 usq; ad egressum Israelitarum vixisse, totidem verbis dicitur
 Exodi VII. 7. vix 350. annos habebis, atq; sic ad minimum 80,
 & quod excedit, anni deficient. Res ita habet:

Ab ingressu in Ægyptum ad mortem Kahath pono elapsos esse annos	133.	Exodi VI. 18.
A morte Kahath ad mortem Am- rami sunt	137.	Exod. VI. 20.
Ab Amramo ad Mosis exitū sunt	80.	Exod. VII. 7.
Essent anni ad maximum	350.	
At esse debebant	430	
Deficiunt ergo	80.	

Hi quò locò inferendi sint, dicant adversarii. Enimverò
 quod excipit *Genebrardus* ad ἀπόδειξιν hanc nostram; aliquos
 annos Kahathvel Amram desiderari, aut aliquos nepotes inter
 eos medios non recenseri, gratis dicitur, seu potius fingitur,
 quod *Cornelius à Lapide* & ipse Pontificius, de ipso perhibet
 testimonium. Et nisi res luce meridianâ esset clarior, lucem
 accipere posset è I. Paral. c. VIII. 1, 2, 3. Neq; enim ibidem ul-
 lum alium nepotem, utut σευαλολογίαν perfectâ tradere sco-
 pus erat, nominat Spiritus Sanctus. Quamobrem dubium
 nullum est nepotes, quos *Genebrardus* in auxilium vocat, esse
 malè feriatu cerebri foetus.

§ 15. Non ergo dubitamus, multò accuratiorem & com-
 modio rem rationem eliciendi hunc numerum iniri, si ab e-
 gressu Abrahæ ex Haran incipiamus: siquidem computus hōc
 modò se habebit:

Elapsi sunt anni		
Ab egressu ex Haran ad nativit. Isaac	25.	Gen. XII. 3. XI. 4.
Ab Isaaco ad nativitatē Jacobi	60.	Gen. XXV. 26.
A nativitate Jacobi ad ingressū in Ægyptū	130.	Gen. XLVII. 9.

En dimidium numeri majoris 215
 Ut adeò tot anni intercepti sint inter exitum Abrahami ex
 Haran ad ingressum in Ægyptum usque, quot ab ingressu in
 Ægy.

Ægyptum ad Exodum usq; , uti disertè numerare *S. Athanasium* in Catenâ Franc. Zephyri initio Exodi, testatur *Cornel. à Lapide* l. cit. Ex cuius sententiâ alteram dimidiam partem numeri hujus Biblici majoris colligemus hoc modo: Si ponatur Kahath esse natum eodem annò , quò ipse descendit cum Jacobo in Ægyptum & genuisse Amram 65 ætatis suæ annò, uti tradit *Epiphanius* in Ancorato, accipies.

A Cahath ad Amram annos 65

Ab Amram ad Mosen 70 teste eodem Epiphan.

A nativitate Mosis ad Exodum 80 Exod. VII. 7.

En alteram dimidiam partem 215
numeri majoris. Quâ additâ ad superiorem, explebis 430 annos, qui colligendi erant.

§ 16. (2.) Urgemus Apostoli Pauli auctoritatem, siquidem & is thesin nostram Chronologicam suò calculò mirificè confirmat ad Gal. III. 17. Eò enim in loco clarè exprimit, quot anni inter promissionem Abrahamo factam & legem latam sint intercepti, scilicet tot, quot Mosis exprimit 430. Siquidem de nullâ aliâ promissione loqui Apostolum, quàm quæ ad Abrahamum est facta circa exodi ex Haram tempus, verba perspicuè declarant. Eadem enim illa sunt, ad quæ Apostolus provocat, ac quæ in solenni isto pacto & promissione habentur. Quod agnovit quoq; vir Dei *B. Lutherus*, qui adeò in aureo comment. in Epist. ad Gal. nos mirificè confirmat. Juvat verba adduxisse, cum novum ferè Argumentum pro nostrâ sententiâ exhibeant. Supputantur, ait, anni isti ab exitu Abrahamæ de terrâ suâ, quando primò accepit promissionem Genes. XII. usque ad exitum filiorum Israël hòc modò: Abraham 75 annò egressus est de terrâ suâ Genes. XII. Centenarius autem genuit Isaac [sic habes 25 annos] Isaac sexagenarius genuit Jacob & Esau Genes. XXI. [signa 60 annos] Jacob nonagenarius genuit Joseph [90 annos signa] ut ex Genesi per multa capita colligitur. Joseph vixit 110 annos Geneseos ultimo. Post hunc duravit servitus Ægypti 65, ut videtur ex Philone, tunc Moses natus, cujus anno 80 exierunt filii Israel. Igitur ab anno Abrahamæ 75 ad annum 80
Mosis

Mosis sunt 430. anni. Credo enim Apostolum non ex supputatione ista dixisse, sed ex Capite XII. Exodi, ubi dicitur habitatio filiorum Israel, quâ habitaverunt in Ægypto, fuit 430 annorum &c. Hactenus B. Lutherus. Neque juvaret quempiam si de aliâ promissione verba Apostoli accipere velit, præterquam enim, quod verba contrarium inferant, ad minimum sequitur; annos 430 non ab introitu in Ægyptum, tempore Jacobi facti, inchoandos esse. Ecquid ergo firmius horum annorum initium nominare potest, præterquam hoc, quod Sp. S. nominat & Clarissimi viri exinde demonstrant?

§ 17. Urgemus (3) *Josephi* Historici optimi testimonium. Hæc enim ille *Antiqvit. L. II cap. VI.* habet verba: Reliquerunt Ægyptum Israelitæ anno 430 postquam Abraham pater noster in Cananæam venit. Quid quæso clarius pro hæc sententiâ poterat dici?

§ 18. (4.) Ultimò urgeri prolixius posset intervallorum quantitas & cæterarum Epocharum certitudo. Cum enim apodycticum sit Exodum Israelitarum contigisse anno P. Jul. 3217. Mundi 2453 & post diluvium anno 797 necesse est 430 annos Mosaicos à vocatione Abrahami inchoari. Neq; si hic numerus sibi haud cõstet, ulla certitudo in Historiâ Ecclesiasticâ & Chronologiâ sacra haberi posset, quod deducere prolixius opus non est, cum ex hactenus dictis id perspicuum sit.

§ 19. Quamobrem ad Antithesin tandem deveniendum, & quid subsit solidi rationibus diversum sentientium explorandum. Prioritaq; Antithesis fuit jam olim *Eugubini & Genebrardi*. Hi enim annos hos 430 non à vocatione Abrahami, sed Jacobi in Ægyptum migratione auspiciandos esse tradiderunt, quod de iisdem testatur *Cornelius à Lapide* in Exodi XII. urgebant verba potissimum, quæ prout jacent, intelligi volebant.

§ 20. At supra abunde dictum, quâ ratione commodè explicari & intelligi verba Mosaica queant. Scilicet à potiori denominationem fieri. Siquidem illius habitationis 430 annorum major pars in Ægypto est consumpta, cum in terrâ Canaan

naan diversis temporibus manserint tres illi Patriarchæ, Abraham, Isaac & Jacob 195 anni. At continua Ebræorum mansio in Ægypto fuit ducentorum quindecim annorum. Præterea non abs re est, quod nonnulli textus Originalis scrutatores monent: Commode accipi posse Mosaica verba hęc sensu, ut dicere velit Mosis; habitationem eorum pervenisse ad 430 annum peregrinationis Abrahæ, videlicet ex Haran. Sic Judith. cap. ult. v. 27. dicitur mansisse in domo viri sui annos 105, id est, usq; ad ætatis suæ annum 105. Non enim verisimile est, Judith annos 105 post matrimonium in domo viri sui peregisse. Quidquid verò sit, hanc explicationem nostram non facimus.

§ 21. Cœterum *Wilhelmus Langius*, præterquam quod passim Scaligeriana carpat, & Chronologis crucem figat, neq; circa præsentem materiam à novitatibus abstinet. Etsi enim in castra Eugubini & Genebrardi transire nolit, cum certum sit, refugium illic satis certum non esse, à sententiâ tamen Scaligerianorum recedere laude dignum omninò putat, dum non ab anno Vocationis Abrahami 430 annos Mosaicos numerari asserit, sed potius ab anno nativitatis Isaaci, qui fuit Abrahami annus 100, atq; adeo 25 annorum prochronismum committit. Sed præstat ipsum audire: Manifestum est, *inquit De A.C.L.II, c.IV*, Abrahamum natum esse 130 anno Tharæ, ideoq; Per. Jul. 2680. Ipse verò generavit Isaacum annos natus 100. Genes. XXI. 5. Adeoq; tum demum Semen illud diu promissum datum fuit, à quo ad legem promulgatam, anni à S. Paulo numerantur 430. Gal. III. 70. Τὸ δὲ λέγω θρησκείαν περιεκυρωμένην ὑπὸ τοῦ θεοῦ εἰς Χριστὸν, ὃ μετ' ἑτῆ τετρακόντα καὶ τριάκοντα γεγονώς νόμος οὐκ ἀκυροῖ. Quando foedus à Deo confirmatum est in Christum? Tum sanè cum Isaac natus est, de quo scriptum est, in Isaac vocabitur tibi semen, hoc est, quamvis multi alii filii tibi sint, per quos semen tuum multiplicabitur: tamen nobilissimum illud semen, in quo omnes generationes terræ benedicentur, non ab alio, quam Isaaco proveniet. Quando ergo Isaach diu & cum maximo desiderio expectatus in lucem prodiit pactum & promissio

C

missio



missio Dei confirmata sunt, quod factum est anno Abrahami centesimo. Ab hoc ergo tempore ad legem datam Paulus numerat annos 430. Lex autem data est altero Mense post exodum ex Ægypto. Ergo exitus ex Ægypto contigit anno 430 post natum Isaachum. Sane ubi Deus de quadringentis annis loquitur, post quos semen Abrahamæ terram Canaan possidere debeat Genes: XV. expressis verbis indicat Isaacum quoque indigitari. Verba sunt: Scito semen tuum alienum futurum in terrâ non suâ, in quâ serviet & affligetur annis quadringentis. Hæc necessariò de Isaaco quoque intelligenda sunt &c. Abrahamus verò nihil tale unquam post datam promissionem passus est. *Hactenus Langius.*

§. 22. Falsissimam verò hanc sententiam Langii esse, & meritò audire, non tantum dicta superius, quando Scaligerianorum sententiam confirmavimus, sed & dicenda evidentissimè probant. Scilicet πρώτον ψεύδεται Langii erat, Mundum conditum annò Per. Jul. 672. Exodum vero contigisse annò Per. Jul. 3210. Hæc cum se invicem conciliari non poterant, quamobrem nova fingenda intervalla, nova excogitanda eorum auspicia, & id genus alia erant. Error enim errorem trudit. Cæterùm absq; omni ratione à Scaligeri non tantum, sed probatissimorum insuper autorum sententiâ hoc loco recedit Langius. Quæ enim consequentia ad Isaacum quoque pertinuit miseria ista de quâ Deus prædicatur Genes: XV. Ergo cum Isaaco inchoandus 430 annorum Mosaicorum & Paulinorum computus. Concedit omninò Scaliger & Scaligeriani ad unum omnes Isaaci peregrinationem includi in annis peregrinationum, at à Nativitate Isaaci eosdem annos auspiciandos esse negant. Et mirum quare non à peregrinatione potius, quam a Nativitate Isaaci hos annos inchoet, cum Deus de servitute agat & peregrinatione. Si enim hoc fecisset, habuisset forsitan causam magis probabilem. Præterea Apostolicum textum torqueri à Langio, nemini puto dubium esse posse, qui modò verba ipsa legit. Hactenus enim certum penes Autores clarissimos fuit digitum intendere Apostolum ad Genes: c. XII. neq; aliam explicationem τὸ ἀπὸν admittit. Fœdus demum in-
Isaa-



Isaaci nativitate confirmatum esse, gratis asserit Langius. Annon verò fœdus confirmatum erat satis in promissione istâ solenni, quæ c. XII. Genes. describitur? Sed hæc expendenda relinquimus Theologis. Genes. c. XV quod concernit, concedimus cum probatissimis interpretibus, inchoandos esse quâdringentos afflictionis & peregrinationis annos cum Isaac. Cæterum hoc contra seipsum Langius urget. Si enim anni 400 à nativitate Isaaci inchoandi sunt, absurdè dicitur inter nativitatem Isaaci & Exodum Israelitarum 430 annos interceptos esse, unde enim ille 30 annorum pleonasmus. Quamobrem sanior eorum sententia videtur, qui hæc ita conciliant, ut dicant ad hos annos 400 addédos esse annos ulterius 25, quos inter Abrahami vocationem & Isaaci nativitatem interceptos esse sæpius notavimus, proveninnt 425 anni. Unde verò residui quinque anni sunt petendi? Scriptura solet, *inquit Cornelius à Lapide*, in h. l. parvos numeros prætermittere, ideoque hic quinque annos omittit. Vel si præcisam supputationem requiris, hos annos inchoa ab ejectione Agar & Ismaëlis ex domo Abrahæ: tunc enim remansit in domo Abrahæ solus Isaac, unicus hæres ejus & harum ejus promissionum. Unde Genes. XXI. 12. ubi ejectio Ismaëlis præcipitur, dicit Deus Abrahæ: *quia in Isaac vocabitur tibi semen.* Sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est. Ita *Torniellus*. Hæc enim ejectio Ismaëlis contigit anno Abrahæ 105, cum Isaac esset quinquennis. Apparet ergo exinde theos veritatem non infringi his telis Langii. Quæ restare videntur servamus Discursui.

COROLLARIA GEOGRAPHICA.

I. *Elevatio Poli accuratissimè quidem per Stella circum-polaris altitudinem meridianam maximam & minimam, instrumentò notatam, investigatur, ceterum universalis hæc Methodus esse nequit, cum in singulis terræ locis ne possibilis quidem sit ejusmodi observatio.*

II. *Ut*




II. *Ut generalis affectio de Incolis terræ non rectè dicitur, quod sint vel Periscii, vel Heteroscii, vel Amphiscii, cum qui in Zonâ torrida habitant aliquò tempore sint Ascii. Non entis verò nulla sunt prædicata.*

III. *Non omnes Incolæ Globi terreni Antæcos, Periæcos & Antipodes, distinctos quidem eosdem, agnoscunt.*

IV. *In nonnullis Terræ locis 24 horarum spatio, aliquò tempore, nec Dies est, nec nox.*

V. *Dantur loca in Globo terreno, in quibus vel nullus Septentrionalis ventus, vel nullus Australis flare unquam potuit.*



Ad Præstantissimum Dn. Respondentem.

Nunc Patriarcharum prodest scrutarier Æras,
Et certam ex ipso codice ferre fidem.
Qui Mundum in Numero, Mensura ac Pondere fecit,
Incertas Patrum jusserit esse vices?
Non agitur dubiis Sanctorum Ecclesia fatis:
Verum eget arte tamen. Scrutinioq; Fides.
Quare quando Patrum, KIRSTENI, expendere pergis
Exilium, Arte clues Ingenioq; potens.

*ANDREAS KUNADUS S. Theol. D.
P. P. & p. t. Decanus.*

SOLI DEO GLORIA.



01 A 6640


ULB Halle 3
003 108 309



Sb.

VD 17







100. 102
L. D. B. V.
DISSERTATIO CHRONOLOGICA
De
ANNO NATIVITATIS ABRA-
HAMI, VOCATIONIS EJUSDEM
ET IVC. XXX ANNIS MANSIONIS
ISRAELITARUM IN ÆGYPTO
ex Ex. XII, 40.

Quam
Consensu SUPERIORUM
in
Celeberrima LEUCOREA

Sub PRÆSIDIO
M. ÆGIDII Strauchs /

ad placidam Συμφιλολογία proponit

GOTTFRIDUS KIRSTENIUS

Bernstadiensis Silesius.

In Auditorio Minori

ad D. III. Septembr.

Annò


P. Jul. VIM. CCC. LXVI.

A nato Abrahamo IIIM. DC. LIV.

A vocatione Eiusdem &

initio 430 annorum IIIM. D. LXXIX.

Christi vulg. M. DC. LIII.



Apud JOBUM WILHELMUM FINCELIUM

